

Sandivogius palatinus Calissiensis villam Trzebatowos donat episcopo Wladislaviensi, et Slawosko accipit in possessionem ad vitalem.

Nos Sandivogius palatinus Calissiensis et capitaneus maioris Poloniae generalis, significamus quibus expedit tenore presentium universis presentibus et futuris, quod villam Trzebatowos vulgariter nuncupatam, ex nunc reverendo in Christo patri domino Henrico Dei gratia episcopo Wladislaviensi, ipsiusque capitulo, cum omnibus iuribus, dominio et pertinentiis universis resignamus, cuius quidem villae universis et singulis iuribus renunciamus et abrenunciamus tenore presentium mediante, et si super huiusmodi villa haberemus privilegiorum seu literarum aliqua munimenta, ipsa ex nunc cassamus, cancellamus, destruimus presentibus et annihilamus, quod de cetero nullum omnino robur habere valeant firmitatis, loco cuius quidem resignationis villae praedictae Trzebatowos, idem reverendus in Christo pater dominus Henricus episcopus Wladislaviensis, de voluntate et consensu concordii sui capituli, hereditatem suam Slawosko nobis donavit tenendi et usufruendi ad tempora duntaxat nostrae vite, post tempora autem nostrae vite, praedicta hereditas Slawosko, ad mensam memorati domini episcopi Wladislaviensis, ipsiusque capituli, cum omnibus frumentis in terra seminatis, et super terram collocatis, devolvetur viceversa, quavis contradictione non obstante, harum nostrarum,

quibus

quibus nostrum sigillum appensum est testimonio
literarum. Actum et datum Lancie feria quar-
ta proxima infra octavas sancte et individue Tri-
nitatis, anno Domini millesimo trecentesimo non-
agesimo septimo.